





*Q. D. B. V.*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO CAROLO**  
BORVSSIÆ PRINCIPE MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO RELIQVA

PRAESIDE  
**FRIDERICO HOFFMANNO**  
COLLEGII MED. h. t. DECANO  
**VSV RESPIRA-**  
**TIONIS IN ARTE**  
**MEDICA**

PRO DOCTORIS GRADV  
publice disputabit  
AVCTOR  
**HENRICVS CHRISTIANVS CRVGERVS**  
Luneburgensis  
*H. L. Q. C.*  
*Ad d.*      *Decembr. Anno M. DCC. XIV.*

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Litteris CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, acad. typ. 1714

VIR O  
NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO  
DOMINO  
**CHRISTIANO**  
**TIMMERMANNO**  
NICOL. FIL.  
SENATORI APVD LVNEBVR-  
GENSES GRAVISSIMO PRAEFECTO AERARIO  
ET AEDILI MERITISSIMO  
AVO SVO MATERNO  
*OMNI OBSERVANTIAE CVLTV PROSECVENDO*  
HANC DISSERTATIONEM  
GRATAE MENTIS  
ET  
POST CINERES ETIAM SVPERFVTVRAE  
PIETATIS  
TESSERAM  
ESSE IVBET  
H. C. C.



DISSERTATIONIS  
DE  
**USU RESPIRATIONIS**  
**IN ARTE MEDICA**  
PROOEMIVM.



Anta respirationis est necesitas in omnibus animalibus calidore sanguine praeditis, vt semel inchoata pari deinceps passu cum ipsa vita ambulet, nec vnam sine huius dispensio penitus cessare posfit. Hinc accedit, vt illius disquisitio omnis aeui Medicos & philosophiae naturalis cultores habuerit follicitos, nec vnam eorum industriae crucem fixerit. Veteres, verum sanguinis circuitum ignorantes, & omnia in physiologicis nudis qualitatum & facultatum nominibus metientes, respirationem dicebant esse actum pulmonum, aërem tum atrahentium, vt huius frigore sanguinis feruor con-

A tem-

temperetur & spiritus generentur; tum eundem rursus emittentium, ut e vicino cordis foco natae fuligines una cum eo explodantur. Stetit hoc dogma, GALENO maxime assertore usque ad HARVEI fere tempora. quo ipso sanguinis circuitum in apricum deducente, alii alio modo respirationis opus explicare aggressi sunt, nonnulli etiam friuolis & monstrosis opinionibus allatis offuscarunt potius, quam apta explanatione illustrarunt. Nostrum iam non est, singulorum hac de re opiniones examinare, neque meliorem assertare, neque falsas confutare, quoniam utrumque & nimis prolixum & forsan taediosum foret. Sufficiat nobis hoc loco monuisse, cum plurima respirationis sibi relietae commoda esse in omni oeconomia vitali; tum maxime illius, quae a voluntatis arbitrio fit, non pauciora in vniuersa medendi arte posse expectari; haec vero a plurimis adhuc neglecta, paucis obseruata, a nullo denique condigne pertractata sunt. Quae causa fuit, ut, cum altioris indaginis specimen nobis edendum esset, hoc imprimis dissertationis, ut vocant, inauguralis argumentum eligeremus, in quo ita versabimur, ut primum de negotio respirationis breuiter quidem, sed quam fieri poterit exactissime agamus: deinde ysis eius explicemus, docendo quae

quaenam mutationes oeconomiae vitali ex illa contingent: hinc varios illam temperandi modos recensēamus, & tandem in emolumenta quae ex his omnibus ad medendi artem redundant, inquiramus. Quae dum pro virili a nobis fient, nemo nobis vitio vertat, illa signa diagnostica vel prognostica, quae a respiratione morbo, vel alio quo-vis modo, nullo tamen consilio nostro alterata desumuntur, [in quibus recensēdis prolixī sunt veterum plerique & in primis Hippocrates,] vel negligi a nobis, vel obiter saltim tangi, cuius rei veniam, non tam dissimilitudo, quam vtriusque argumenti prolixitas & arcti dissertationis limites facile impetrabunt.

## SECTIO I.

### De Physiologia respirationis.

#### §. I.

**D**um animus est de vsu respirationis in arte medica tractare, nullum adeo morosum censem fore confidimus, qui definitionem more scholarum a nobis praemittendam desideret, praesertim, quoniam & temerarium est, re nondum satis explorata aliquid definire velle, & inferius demum clare patere potest, quid per illam intellectum velimus. Sufficiat igitur indicasse, quod nemini ignotum esse potest, respirationem nobis de-

A 2

nota

notare illum actum, quo aér in pulmones intromittitur, & ex illis rursus expellitur.

§. II.

Neminem porro latebit, eam esse respirationis naturam, vt partim insciis nobis, vel saltim non cogitantibus peragatur: partim etiam voluntatis arbitrio pareat, & pro lubitu institui vel inhiberi; fortius etiam vel languidius; celerius, vel tardius; frequentius, vel rarius fieri queat.

§. III.

Quoniam itaque scopus noster est hac dissertatione in illas utilitates inquirere, quae ad artem salutarem ex respiratione, quae consulto a nobis fit, redundare possint, facile perspicimus, nobis non integrum esse eum attingere, nisi exploratum & demonstratum habeamus, quid sit omnino respiratio? deinde, quomodo fiat? hinc, quaenam ipsius causae? tandem, quis usus & finis?

§. IV.

Vt igitur omnia rite fiant, fac hominem tum ratione probe instructum, tum philosophiae sánioris & in primis Geometriae principiis imbutum nihil scire de respirationis negotio, praeter illud, quod initio diximus, & quilibet in se experitur, (aërem nimirum ingredi & egredi thoracem, & hunc moueri,) ceterum inquirere in illud velle; is certe primum aeris naturam rimabitur, deinde thoracis structuram examinabit, postea phænomena eius motuum scrutabitur, e quibus inter se collatis cauſas & modum fiendi horum motuum exsculpet, & tandem pari methodo adhibita de fine & effectibus illorum statuet. Nemo vero non videt, hanc methodo-

methodum, vt pote rerum naturae conuenientissimam,  
non posse non claram & distinctam totius negotii ideam  
suppeditare.

§. V.

Et primum quidem, quod ad aërem attinet, sufficiat nobis ex infinitis experimentis, quae ab auctoribus qui in eius naturam inquisuerunt, & solerter facta & fideliter passim recensita sunt, ea saltem allegare, quae ad scopum in primis facere videntur & fere sunt sequentia: α) Aërem esse vaporum & effluuiorum omnis generis commune receptaculum. β) Aërem elatere gaudere seu cum quo quis corpore, ipsi exposito, aequilibri. γ) Calorem cum reliqua corpora omnia, tum aërem etiam expandere. δ) Calorem hinc expellere & excludere ita aërem, vt, quo maior ipsius gradus aliqui adest, eo aëris minus ibidem reperiatur: & contra. ε) Caloris itaque atque elateris aëris reciprocum quoddam esse aequilibrium. ζ) Et cum calidorum' ea sit indoles, vt pro maiore calore maiorem etiam igneorum effluuiorum sphaeram habeant, hinc aërem eo proprius remotum ab iis fore, quo minorem caloris gradum fortita fuerint: & contra. η) Aërem ad laeuiora & polita corpora minus: ad asperiora magis prope accedere. θ) Aërem per illa corpora, quae e membranis, densa fibrarum sibi incumbentium congerie contextis, constant, transire non posse.

§. VI.

Thoracis partes quam commodissime in continent & contentas diuiduntur. Illae sunt vel cutis & reliqua integumenta communia: vel ossa & cartilagini: vel haec connectentes musculi & membranae: vel

his intertexti nerui: vel denique omnis generis vasa, vt de glandulis taceamus. Hae sunt viscera mediī ventris pulmones & cor cum suis vasī.

§. VII.

Jam horum omnium accuratam descriptionem anatomicam dare nobis quidem incumberet, nec ab instituti ratione foret alienum: attamen, quoniam non prolixior tractatus, sed dissertatio nobis conscribenda est, ne nimis extra oleas divagari videamur, lectorem harum partium structurae peritum postulamus, eoque confidentius huius veniam nos esse impetraturos speramus, quo maior exstat numerus celeberrimorum Anatomicorum, qui hoc in argumento sic versati sunt, vt illud plane exhausisse videantur. E quibus Bartholinos, Loweros, Malpighios, Bellinos &c, nominasse sufficiat.

§. VIII.

Phaenomena motuum inter respirandum continentia fere sunt sequentia: Observamus incipiente inspiratione 1) Eleuari sternum. 2) Costas attolli superiora versus. 3) Diametrum circuli quem costae cum vertebris & sterno faciunt augeri eo magis, quo illae a prima vera & ultima spuria proprius absunt; & viceversa. 4) Abdomen intumescere. 5) Aerem dum haec fiunt ingredi in pulmones. 6) Aerem ibidem subsistere aliquantisper, & tum motus recensitos feriari. 7) Nullum interea tumorem reliquorum musculorum, qui respirationi vulgo praeesse dicuntur, dentatorum & ferratorum e. gr. animaduerti, 8) Quin imo omnibus aliis musculis in pectore & abdomine abscissis, si soli musculi intercostales & diaphragma illaesā sint, aequ

que respirare animal, ac si nullum esset vulnus. quae  
 obseruatio est *Pecqueti ap. Casp. Barolinum de Diaphragm.*  
*Strudura cap. II.* 9) In exspiratione subsidere pectus &  
 sternum. 10) Costas deprimi abdomen versus. 11) Ab-  
 domen detumescere. 12) Inter haec aërem elabi e pul-  
 monibus. 13) Duo haec motuum genera sic recipro-  
 care, vt inter vtrumque status neuter interjectus sit.  
 Haec vti potiora sunt phaenomena, quae ad actum  
 respirationis naturalis, quae nobis etiam non cogitan-  
 tibus fit, pertinent: ita ad eundem, dum voluntatis ar-  
 bitrio temperatur, plura spectant, iam recensenda eo  
 accuratius, quo proprius scopum nostrum attingunt.  
 Deprehendimus autem 1) Respirationem posse fieri o-  
 mnibus memoratis phaenomenis modo recensito sese  
 habentibus, & tunc vel tempus, vel copiam admitten-  
 di in pulmones aëris, vel vtrumque simul voluntatis  
 arbitrio nos posse moderari. 2) Inspirationem integre  
 posse fieri, thorace solum leuato, non abdome simul,  
 quin & hoc depresso; eleuandum autem eo casu fortius  
 thoracem. 3) Inspirationem posse fieri abdome  
 inter inspirandum consulto tumidiore solito reddito,  
 & hoc pacto thoracis eleuationem, aut nullam omnino,  
 aut per obscuram contingere. 4) Exspirationem aliquam  
 posse fieri, thorace vel omnino non, vel obscurius  
 saltim depresso, & hoc casu abdome deprimi eo  
 fortius. 5) Exspirationem integre posse fieri abdome  
 ne omnino non subsidente, quin etiam inter exspiran-  
 dum intumescente magis: deprimi autem hoc casu eo  
 fortius thoracem, 6) Spiritum posse comprimi intra  
 pectus, nullis motibus siue in thorace siue in abdome  
 succedentibus. 7) Compresso sic spiritu, abdomen  
 posse

posse pro lúbitu siue comprimi magis, siue tumidius reddi: illoque casu thoracem eleuari; hoc, deprimi, & quidem vtrinque sensibilius circa costas priores veras, quam alibi. 8) Inspirationis & exspirationis actum sic alternare, vt inter vtrumque status neuter interiectus & protracti longius voluntatis arbitrio, & breuior reddi possit. 9) Quin integrum nobis esse volentibus vtrumque respirationis actum pluribus vicibus statu neutrō interpolare, & sic aërem vel ingressu vel egressu prohibere.

§. IX.

Haec motuum thoracis phaenomena, si cum eiusdem structura conferantur, nos docent 1) Diaphragma esse primarium respirationis organon, quoniam scil. illo solo agente, licet reliqui musculi quiescant, haec nihilominus succedit. 2) Adiuuari autem illud a musculis intercostalibus, altero respirationis organo. 3) Nullas partes in hoc negotio esse reliquorum musculorum, qui respirationi vulgo inseruire ab auctoribus dicuntur.

§. X.

Patet praeterea e structura harum partium, respirationem fieri: 1) diaphragmate sphæroideam figuram, quae ipsi relaxato propria est, cum plana commutante. Id quod fit ope fibrarum carnosarum vtriusque musculi diaphragmatici, quae in commune centrum tendinosum abeunt, illudque contractae planius reddunt: 2) Musculis intercostalibus singulas costas singulis, & omnes primae propiores redditibus, quo pacto non solum, acuto angulo, quem cum spina descendente faciunt, magis ad rectum accedente, tota thora-

thoracis cavatas in omnem sensum amplior redditur, sed sigillatim etiam transuersa ipsius diameter, quae costas ultimas veras bisecat, augetur, hisce circa medianam sui partem, quam in extremis mobilioribus, atque ita altius leuandis &c. quod e cartilaginum structura, & capituli costarum cum vertebris per obscurum ginglymum articulatione, consideranri patet.

## §. XI.

Dum haec fiunt, aucto thoracis ambitu, & mutato, quod ipsi cum aere intercedebat, aequilibrio, hic minus impedimenti illic inueniens, sponte sua in pulmones illabitur, illosque dilatat, non secus ac si folli inclusi essent, quod Suammerdamii est experimentum. Aer pulmones ingressus ab horum calore eo magis rarescit & expanditur, quo maius est discrimen inter ipsius frigus & horum calorem: adeoq; pro huius modulo fortius etiam vel remissius in bronchiorum & vesicularum parietes impingit, eosque sic distendit, ut collapsi antea, rigidiores & tensi reddantur. Pulmo*nibus* vero aere turgidis, tenduntur non solum vasorum sanguiferorum maiores rami, qui iugiter bronchiorum diuariationes concomitantur; sed minima etiam illorum vasa, quae subtilissimi retis instar in vesicularum parietibus diffinita esse vidit Malpighius.

## §. XII.

Sed laxato rursus diaaphragmate, eoque in cavitate thoracis retrocedente, & subsidentibus iterum costis, quae ob articulationem cum apophysis vertebraiarum transuersis in statu coacto erant, aer iterum

terum e pulmonibus egreditur, partim cedens collabenti thoraci & minus in circumfuso aëre impedimenti offendens, partim etiam vesicularum elatere propressus, & musculosa tunicae bronchia & tracheam investientis structura inter exeundum adiutus.

## §. XIII.

Jam; quod ad finem primarium respirationis attinet, illum non nouimus alium praeter illam sanguinis praeparationem, qua ad promptiorem eius per omnis generis vasa cursum, nec non ad secretiones, & has excipientes excretiones aptus redditur. Fit autem illa unice per ipsius conquassationem & quandam quasi titationem, quam vitalis hic liquor sub utroque respirationis actu in pulmonibus patitur, (An vero aër atmosphaericus per pulmones in M. S. intromittatur, mox videbimus.) Ceterum multa sunt, quae ad intimam sanguinis in pulmonibus comminutionem & subactionem symbola sua conferunt. Primum impetum sustinet in maiorum vasorum ramis, qui bronchia comitantur, ab his, aëre in inspirato pulmo ne turgentibus, succussus. Alterum mox in minimis vasis, quibus vesicularum parietes scatent, qui quidem eius est momenti, vt in ipsius gratiam tota pulmonum compages eam, quam possidet, structuram nacta esse videatur. Hunc enim solum ob finem vasculorum haemyriades in pulmonibus dispersae esse dicendae sunt, vt sanguis per subtilissima ipsorum oscula adactus & propressus intimiorem solutionem subeat. At vero cum supremus nostri corporis conditor optime nosset, motum sanguinis in his vasculis non posse sibi constare, illumque liquorem intra tenerrimos tubulos admittent.

tendum ipsum sibi impedimento futurum, nisi hi rite  
tendantur, sapientissimo consilio eos in parietibus ve-  
ficularum sic dispositi, ut his ab aere immisso expansis,  
illi non possint non vna tendi, & e laxis rigidiores fie-  
ri. Sed vna hac fidelia duos dealbavit parietes.  
Primum enim hoc pacto maior vtique sanguinis con-  
quassatio contingit in canaliculis hisce rigidis & tensis,  
quam laxe concidentibus: deinde etiam illa aeris in  
vesiculas explosio mirum in modum hanc sanguinis  
communitionem adiuuat. Ille enim in has irruens, &  
a vicini sanguinis calore fortius expansus, nisibus suis  
contra harum parietes sanguinem denuo conquassat &  
quodam quasi pistillo comminuit. Tertium impetum  
patitur dum exspiramus, cuius effectus optime a simi-  
litudine spongiae sanguine turgidae & compressae il-  
lustrari potest. Concidentibus enim pulmonibus fan-  
guis reticulato vasculorum opere comprehensus, par-  
tim, & quidem venis incipientibus propior, in illas a-  
digitur & ad sinistrum cordis ventriculum amandatur;  
partim minimas vasculorum diametros nondum pree-  
teruectus, vel his detinetur, vel cum allabente per ar-  
terias pulmonales sanguine committitur, vtrobique in-  
time concutiendus.

#### S. XIV.

Jam ex his omnibus apparet, sanguinem per tot  
exiliissimos membranularum porulos & tubulos trans-  
adactum sic in pulmonibus atteri atque discerpi, ut qui  
ad coagulum antea pronus erat, iam liquidior ad cor  
redeat: cuius partes antea male cohaerebant & seces-  
sionem minabantur, is nunc intime mixtus & subactus  
deprehendatur; qui obscuriore colore praeditus erat

in dextro ventriculo, nunc rutilo, comminutionis indice, conspicuus ad sinistrum redeat. Ex hac porro ipsius attritione citatiorem minimarum particularum & in primis sulphurearum motum exsistere, viudi caloris vnicum fontem & originem: cui quidem omnia fere illa phaenomena deberi, quae aëri intra sanguinem per respirationem recepto vulgo accepta referuntur, liquidissimum est.

## §. XV.

Quo minus enim multorum sententiae de aëris atmosphaericis inspirati cum sanguine in pulmonibus intimo mixtione subscribamus, IV. potissimum rationibus impedimur, quarum summa capita sic se habent. I. Nondum ab ullo vñquam aëris in M. S. praesentiam iis argumentis esse demonstratam, quae non potius de caloris quam aëris praesentia & effectu testificantur: seu, omnia argumenta hunc in finem ab auditoribus allata esse aequiuoca & caloris aequa ac aëris in M. S. praesentiari arguere. II. Sed, data tantisper aëris in sanguine praesentia, nondum demonstratum esse, ipsi nullam aliam viam praeter illam per pulmones patuisse. III. Aëris ipsius naturam obstat, quo minus intra sanguinem per pulmones recipiatur. IV. Structuram partium per quas transire deberet, intra sanguinem recipiendus, obicem ipsi ponere, non nisi ipsis his partibus destructis amoliendum. Quae quatuor argumenta partim lematibus innituntur §. V. hunc in finem allegatis.

## §. XVI.

Ceterum, vt primarium respirationis usum in oeconomia vitali posuimus, definitam quandam sanguinis

nis immutationem; sic plures admittimus sequioris conditionis & per accidens, ut scholae loquuntur, contingentes. Inter hos eminet ipsius ad integrum praestandum circulum sanguinis necesitas, quae tum e pulmonum cum corde cohaesione; tum e momento, quod sanguini per pulmones moto a respiratione accedit, facile innotescit. Scilicet, cum sapientissimo Conditori placuerit, omnem sanguinem in perfectioribus animalibus huic in pulmonibus praeparationi exponere, non poterat illud fieri, quin vniuersa etiam ipsius moles per hoc viscus traduceretur. At enim vero sic necessitate quadam ineuitabili contigit, ut veterque sanguinis motus (ille scil. qui fit per pulmones, & alter qui fit per reliquum corpus) sic a se inuicem dependeret, ut communia sint utriusque fata, & alterutrius mutationem paulo post alter etiam experiri cogatur. Ex datis itaque hoc momento respirationis ad motum sanguinis per pulmones, & mutatione structuae & situs partium post primam omnium respirationem, problematis Harueani solutionem nullo negotio inueneris, reliquis omnibus, qui siue a denegato aëris in sanguinem commeatu, siue impedita accensione sanguinis precaria, siue prohibitis aut nitrosarum particularum ingressu, aut fuliginum explosione, seu deinde a quavis alia caussa illius solutionem repetunt, in cassum sese torquentibus.

## §. XVII.

Altera porro respiratio inferuit chylificationis negotio, & sanguinis depurationi, quae infimi ventris visceribus debetur. Diaphragmate enim alternis vicibus contracto, omnes secretiones & excretiones,

quae illorum ope celebrantur, sic iuuantur, vt sine eius auxilio fere langueant. De quibus vberius disputandi occasio infra suppeditabitur.

### §. XVIII.

Hisce de natura & effectibus respirationis sibi relictæ, veluti per lancem saturam exhibitis, quoniam animus est, illius tanquam remedii cuiusdam vsum in arte medica euoluere atque Lectori B. exhibere; absoluta autem & principalis quidem remediorum est conditio, vt sint in nostra potestate: iam nobis hac de re disquirendum erit, & ostendendum, integrum esse iubenti Medico illam diuersimode in aegris temperare. Quod sectione sequenti facere iam ingredimur, de variis modis moderandi respirationem acturi.

## SECTIO II. De variis modis moderandi respirationem.

### §. I.

**E**X illis, quae supra Sect. I. §. 2. attulimus, respirationem videlicet pro lubitu vel institui vel inhiberi; fortius etiam vel languidius: celerius vel tardius: frequentius vel rarius fieri posse, appetit, primum modum moderandi respirationem a nudo voluntatis nostrae actu pendere.

### §. II.

Instrumenta, quae his motibus famulantur, sunt musculi diaphragmatis, intercostales, laryngis & abdomi-

dominis, qui pro re nata nunc inspirationem, nunc exspirationem vel iuuant, vel inhibitent.

§. III.

Quo pacto respirationem iuuent, e prima sectione apparuit. Inhibetur vero inspiratio, vel feriantibus in totum his musculis, post factam expirationem, quo facto status neuter (no. 13. §. 8.) inter expirationem & inspirationem interjectus, fit protractior: vel, non nisi languide & remissius agentibus, quo pacto etiam exspiratio necessario minor fit, & tota respiratio languidus succedit.

§. IV.

Exspiratio vero inhibetur, cum spiritus intra praecordia compressus egressu prohibetur. Consistit autem haec spiritus cohibitio in statu illo neutro, qui per no. 13. §. 8. inter inspirationem & exspirationem est interiectus, plus solito protracto & prolongato.

§. V.

Patet autem ex hac definitione, spiritus cohibiti causam vel a sola muscularum inspirationi inferuentium actione protracta & quasi suspensa repetendam esse, muscularis abdominis & laryngis prorsus feriantibus, & tum spiritum, libero licet per laryngem itinere, tamen non egredi e pulmonibus, quoniam ad exeundum non cogitur: vel etiam in muscularis laryngis obicem constrictione epiglottidis exituro ponentibus, sitam esse, spiritu ad exeundum vel a collabente solum thorace, laxatoque diaphragmate debilius: vel muscularum abdominis actione fortius compulso: & tunc spiritum coactum quidem tamen egredi non posse, ob iter a laryngis muscularis ipsi paeclusum. Quae quidem illa

est

est spiritus cohibitio antiquorum Medicorum & gymnastarum scriptis tantopere commendata.

## §. VI.

Vltimae huic considerationi innititur illud discrimen, quod antiqui inter spiritum debilium & fortius cohibitum ponebant, de quo sic ad mentem veterum Hier. Mercurialis de arte gymn. lib. III. cap. VI. *Medici quidem vel medicorum gymnastae duplēm spirationis cohibitionem in vsu habebant, alteram, in qua vniuersitudo thoracis musculi tendebantur, remissi, qui sunt in septo transuerso & abdomen, ut facilius excrementa deorsum trudarentur, alteram, in qua abdominis quoque musculi tenduntur, quo videlicet ea, quae sub septo sunt, viscera, exercitationis fructum sentirent.* Obiter hic notamus lapsos esse veteres & cum iis Mercuriale putantes, septo transuerso laxato, tensos thoracis musculos spiritum intus retinere posse, quem tamen sola larynx occlusa, spiritus sic egressu impedito, thoracem, passiuē hic se habentem, collabi non sinat.

## §. VII.

Quaenam veteranū de vsu & effectibus cohibitiōis spiritus opiniones fuerint, apud eundem I. c. videri potest. Nos eius usum in casibus singularibus infra declaraturi, hic tantisper notamus, omnes illos motus, secretionibus & excretionibus dicatos, qui vel ab inspiratione protracta, vel a nisibus, qui cum illa semper sunt coniuncti, pendent, ab ea iuuari eo magis, quo siue fortior siue diuturnior illa fuerit.

## §. VIII.

Alter modus moderandi respirationem per motum corporis contingit, qui vel est localis totius; vel labo-

laboriosus, partium. Huc pertinent omnia exercitiorum genera, immenso studio ab antiquis exulta, ut corporibus siue sanitatem, siue firmitudinem & robur, siue pulchritudinem & bonum habitum conciliarent, quae *Hier. Mercurialis doctissimis de arte gymnastica libris* sic recensuit & explanauit, ut totus antiquae palaestrae apparatus ex iis pateat. Nostri instituti ratio non fert, ut his longius immoremur, sed potius exigit, ut doceamus, quo pacto respiratio ab utroque genere varie immutetur, infra demum eius sic mutatae usum in arte ostensuri.

## §. IX.

Effectus itaque vtriusque motus, quoad respirationem, est potissimum ejus e tardiore & rariore in celeriorem & frequentiorem mutatio. Haec vero vnicce dependet ab aucto sanguinis circuitu, qui quidem in extremis corporis partibus exercitatis primum incipiens, fibris carnosis & tendineis musculorum debetur, quibus fortius intra vasa propressus sanguis, celeriore ad cor reditu, frequentioris ipsi contractionis causa existit: quo facto, non solum reliquus, visceribus contenitus, sanguis ad celeriorem motum solicitatur, sed ipsi etiam, per pulmones labenti, necessitas imponitur circuitum suum celerius absoluendi; pro cuius celeritatis gradu non potest non respiratio pariter fieri celerior & frequentior. De ipsis ita auctae usu interea notamus, illam omnes fluidorum secretiones & excretiones, quin & partium solidarum motus, qui vtrique respirationis actui debentur, pro vario ipsius gradu diuersimode etiam iuuare.

## C

## §. X.

## §. X.

Tertius respirationem moderandi modus is est, qui fit mediantibus tum aliis, tum in primis thoracis exercitiis. Sunt autem fere sequentia: potus pedetentim sumptus: sternutatio & cachinnus: tibiarum inflatio: vociferatio: cantus: lectio aut recitatio clara: fermocinatio. de singulis seorsim.

## §. XI.

Et potus quidem pedetentim sumptus pari modo respirationem afficit ac spiritus debilius cohibitus, epiglottidis rimula, inter potandum clausa, spiritum egressi non permittente. quapropter de illo breuioribus esse liceat. Ceterum *Hippocrates* ipse in curatione tertiae tabis *De intern. affct. cap XIII.* usus est hoc remedium genere, dum aegrotum aquae mulsae dimidium congium bibere iubet, & quidem *anveus citra respirationem.*

## §. XII.

Sternutationis & cachinni, uti par fere est fiendi modus, ita non absimilis effectus. In sternutatione, membranarum, & in primis organorum sensoriorum, crispationes quasi conuulsoriae ad neruos redundantes, cum diaphragmate communicantur, quo subito laxato, repentina fit expiratio, conuulsis simul colliquibusdam & faciei musculis. In cachinno a titillatione vel lepidae rei consideratione orto, non simul & semel, sed per vices diaphragma tensum, iterumque laxatum, interruptam respirationem efficit, sub qua nonnulli etiam faciei musculi conuelluntur. Ceterum risus etiam inter exercitia relatus gymnasticae artis cultorum in-

industriam exercuit, de quo Vid. Mercurialis lib. VI. art.  
gymn. cap. VI.

§. XIII.

In tibiarum inflatione exspiratio varie determinatur, in ea quippe spiritus, confertim haustus, pedetentim, & ad numeros musicos, non sine quadam contentione rursus emittitur, quod ipsi cum cantu est commune.

§. XIV.

Tria praecipue vocis exercitia respirationem immittare apta nata sunt. Vociferatio aut cantus: Letio aut recitatio clara, & sermocinatio. quae gradu saltim differunt. Vociferatio non ultimum locum inter artes gymnasticas olim occupabat. Illustris de illa locus occurrit apud *Aetrum Amidenum Tetrab. I. Sermon. III. cap. V.* dignus qui hic inseratur, quod ex eo tum modulus adhibendi vociferationem, tum commoda, quae veteres ab illa exspectabant, apparent. *Vociferatio*, inquit ille exercitatio est pectoris, & vocalium instrumentorum, insuperque caloris naturalis purgans, attenuans & roborans, & corporis partes solidas & robustas reddens, ut non facile affectionibus impetetur. Viendum est vociferatione in anhelosis & recta cervice spirantibus, tabidisque & doloribus diutinis pectoris ac dorfi, & in pectoris abscessibus post rupturnam, & ad raucam vocem ex plurima humiditate factam, & in febribus quartanis, nam concretum humorem conuentissime excutit, & stomachi humiditatem, quam priuatum quartana febris inducere solet, expellit. Conuenit etiam stomachicis, praesertim assidue vomentibus & acidum ructantibus; at vero capitis affectionibus incommodissima vociferatio existit. Ceterum qui vociferatione usuri est,

C<sup>2</sup>

alio

alio prius exonerata, & inferni partibus sensim conficitur,  
 lotaque facie placide perfusa, & ubi mox a somno se mode-  
 rate loquendo & deambulando praeparauerit, ita tandem  
 ad vociferationem debet progredi. In ipsa autem vocifera-  
 zione concinnitas & vocis bonitas & iucunditas nihil contu-  
 lerint ad sanitatem, verum grauiorum vocationis sonus utilis  
 exilit: quare in hoc se exercere oportet. Sic enim pluri-  
 mus aer in respiratione attractus pectus distendit, & aluum  
 & totius corporis meatus dilatat, unde in voca-  
 ficationibus & concitatis lectionibus redundantium humo-  
 rum excretiones contingunt: & in iis quidem, qui concita-  
 tius legunt, magis, & per sudores, qui vero mitius vocem  
 intendunt, per occultam transpirationem, nam tota corporis  
 moles in lectionibus & vociferationibus intenditur. Conti-  
 git item, propter attenuationem ex motu factam, multa sputa  
 resoluta, mucumque ac pituitam excerni. Porro iis, qui  
 propter frigiditatem caliditate opus habent, quodnam com-  
 modius auxilium offerri queat, quam actio per respiratio-  
 nem? Oportet itaque saepe legere, & uniuersum corpus re-  
 laxare, susaque carne ad corporis rarefactionem, aperam  
 arteriam & alios spiritus exitus commode distendere, & gra-  
 uissimas voces concinme sonare. (vertente Jan. Cornario) Ori-  
 basius quoq; lib. VI. Collect. ad Iulian. c. IX. & X. haud contem-  
 nenda de ea habet ex Antyllo de prompta, quibus inter ce-  
 tera modum, quo vociferatio thoracem afficiat, explicare  
 satagit. Cantus a vociferatione differt, quod modulis  
 & numeris magis adstrictus sit, ceterum idem fere v-  
 trique est effectus. Par ratio quoq; est lectionis aut re-  
 citationis clarae, nisi quod thoracem & spiritalia in-  
 strumenta remissius fatiget. Sermo autem omnium  
 placidissime pectus exercet, & inter exercitia vix lo-  
 cum

cum meretur, nisi forsan fuerit concitator & contentiousus.

§. XV.

Miras vtilitates harum vocis exercitationum & in primis vociferationis depraedicabant veteres, (quas ex mente ipsorum diligenter & docte recenset laudatus *Mercurialis de art. gymn. lib. III. cap. VII. & lib. VI. cap. V.*) in his ipsis tamen non satis sibi vbiique constantes, quin & saepe contrarii, quod *Caelii Aureliani* exemplo patet, qui *chronic. lib. I. cap. I.* vociferationem, (*ἀναφώνησιν* quam Graeci vocabant,) doloribus capitum conferre tradit, quum tamen & *Aetius* & *Antyllus* ap. *Oribas. l. c.* reliquie omnes, imo res ipsa contrarium prorsus sua deant.

§. XVI.

Interim afferimus, recensita vocis exercitia con ferre omnibus iis morbis, quibus auctior sanguinis motus & viscerum infimi ventris a diaphragmate, repetitiae succussiones salutares existunt, de quibus pluribus infra videbimus.

§. XVII.

Respirationis sic mutatae usus triplex deprehenditur secundum Medici triplicem intentionem. Vel enim ea utimur ad explorandum: vel ad euacuandum: vel ad alterandum. De singulis sequente sectione seorsim.

---

 SECTIONIS III.  
 CAP. I.

 De vſu respirationis in ex-  
 plorando.

§. I.

**I**ntra reliqua signa, e quibus Veteres de euentu, periculo & diuturnitate morborum colligebant, non ultimum locum apud eos occupabant, quae a mutatione respirationis desumebantur. *Hippocrates* in primis & qui illum secuti accuratiorem morborum historiam tradere cordi habuerunt, non leuem hac in re operam posuerunt. Sic *Hippocrates in Coaeis Praen.* obseruauit, dyspnoeam ab Erysipelate euanescente malam. Locus ipse est: Ερυσίπελας δὲ ἔξωθεν μὲν ἐπιγίνεσθαι, χρήσιμον ἔσω δὲ τρέπεσθαι, θανάσιμον. Τρέπεται δὲ, ὅταν ἀφανιζομένη τῇ ἐρυθίματῇ, βαρύντα τὸ σῆθον καὶ δυσπνοώτερον γίνηται. *Erysipelas foris superuenire, commodum est: intro vero converti, letale. conuertitur autem, quum, dispidente rubore, petitus grauatur, & aeger difficulter respirare incipit.* Sic apud eundem occurunt πνευμα πυκνὸν, Θολερὸν, κοπιῶδες, προσκόπτον, ἀραχὸν, μέγα, προσπτάζον ἐν τῇ ἔξω Φορῇ. (de quo Vid. *Galen. de Sympt. caulis lib. II. cap. II.*) & plura alia spiritus mutati nomina: de quorum significatu & nondum satis inter doctos constat, & nobis per ea, quae in prooemio attulimus, breuioribus esse licet.

§. II.

Par ratio fere est signorum, e pulmonibus recens natorum, in aquis subsidentibus, de illorum respiratione

ne

ne & vita capeſſendorum, quae pariter huc non ſpe-  
tant, & altioris indaginis ſunt, quam ut hic veluti per  
transennam conſiderari queant.

§. III.

Respiratio voluntaria maxime diſfumum per to-  
tum ambitum artis vſum habet, ad explorandum illa o-  
mnia, quae per oſtaſtum a Medicis, Chirurgis & Phar-  
maco, oeiſ diiudicantur. Sine inspirationis enim ope,  
teneſiora *ἀποσπόματα*, rerum odoratarum, quae aëri  
innatant, vna cum hoc pituitariae membranae narium  
imprimi nequeunt, quod niſi fiat, oſtaſtus ſenſus in no-  
bis nullus excitatur.

§. IV.

Morborum praecipui, quibus cognoscendis inſer-  
uit respiratio, iubente Medico ab aegro varie tempe-  
randa, ſunt affeſtus pectoris. Inter quos eminet phthi-  
ſis vera ex vlcere pulmonum. Negari quidem nequit,  
respirationem diſſicilem ſaltim aequiuocum ſignum  
phthifeos eſſe, dum non ſolum innumeris morbis eſt  
commtinis, ſed ne phthiſi quidem ſemper ita propria,  
ut nulla occurrat, quin cum dyspnoea ſit coniuncta.  
Obſeruarunt enim auctores in diſfectis phthiſi extin-  
ſorum cadaueribus, ſaepe alterum pulmonum lobum  
prorsus in tabum abiiffe, alterum etiam profundo vlc-  
ere fere depaſtum, cum tamen aegro respiratio ſic ſatis  
libera fuerit. Nota eſt Serenisimi Iuuentutis Princi-  
pis historia, cuius tabe extincti alter pulmonum lobus  
penitus conſumptus deprehensus eſt, illo tamen, niſi  
vltimis virae diebus, de dyspnoea nunquam querulo.  
At enim vero, quum vtique fieri nequeat, quin ſan-  
guinis per pulmones circuitus a profundiore vlcere ſic  
impe-

impediatur, ut respirationi sua libertas integra constare nequeat, praetertim, si sanguinis circuitus & cum eo respiratio a qualibet cuncte causa augeatur, facile patet, libertatem respirationis eodem gradu laedi debere, quo motus sanguinis fit rapidior. Et sic posse respirationem auctam vna cum aliis phthisi explorandae inferire.

## §. V.

In pleuriticis & peripneumoniacis dyspnoea summa in reliquis affectus magnitudinem arguit. At, cum determinandum est, quodnam latus maxime laboret, tum demum respiratio, aegro, vni quam alteri lateri incumbenti, longe facilior, illud ipsum, cui incumbens respirat liberius, maxime laborare indicabit.

## §. VI.

Polypi cordis nascentis individua comes est dyspnoea. Cum vero illa cum palpitationibus cordis, pulsu interrupto & crebris lipothymiis coniuncta fuerit, iam confirmati mali signum exhibit.

## §. VII.

Asthmatis apud Auctores duo praecipue genera occurunt. Vnum, quod vitio nervorum spiritualibus organis implantatorum contingit, & ab eorum sive laxitate nimia, tonoque vitiato, sive etiam strictura & spasmis dependet; alterum, quod humoribus lentis bronchia infarcentibus debetur. Illud vulgo siccum; hoc humidum vocatur. Inter utrumque respiratio, iubente Medico paulo profundius ab aegro instituenda, distinguit. In illis enim, qui humido laborant, inter inspirandum plerumque quaedam quasi ebullitio aut sibilus in pulmonibus nasci auditur, & sive profundius inspi-

inspirandi, siue spiritum vel tantillum cohibendi summa difficultas obseruatur. In sicco asthmate laborantibus, illius ebullitionis sensus, nisi malum iam fuerit confirmatum, non facile occurrit, aegrisque integrum plerumque est, spiritum paulo diutius cohibere.

§. VIII.

Nescio quid sibi velit *Io. Crato* in epistola ad *Theod. Zuvingerum* ap. *Scholzium* ep. CXXXVI. quando refert, in *Diuo MAXIMILIANO II.* hydropoe pectoris extindo, exspirationem ultimis vitae diebus sic fuisse impeditam, ut ne sesquicynthum bibere posset. Num inter bibendum exspiratio vigeret? an potius inspirationem legendum est? tum, quoniam vix, nisi ab hausto aere, bibere licet, tum, quia rationi vtique consentaneum, circumfusas pulmonibus aquas illorum dilatationem, quam concidentiam potius esse impedituras. quod insuper testimonio *Richardi Lorveri de corde cap. II.* patet, qui inspirationem hoc morbo laborantibus esse difficilimam asserit.

§. IX.

Cartilaginem ensiformem vitiosa structura multis morbis ansam dare, obseruarunt iam dudum Medici. Ab ossea eiusdem rigiditate, libero diaphragmatis motu impedito, summam respirandi difficultatem obortam esse, obseruauit *P. Paw. de ossib. part. I. pag. X. & part. II. pag. CXX.* In huius cartilaginis laxitate nimia, &c eiusdem a sterno separatione spontanea, aegros de summa inspirandi difficultate querulos, idem annotauit l. c. quod *Bapt. Codronchius* etiam ante illum viderat. Quibus quidem obseruationibus docemur, in indagandis causis difficilis respirationis, quae satis plerumque ob-

D

scurae

scurae sunt, huius cartilaginis vitiosum situm & struc-  
turam, aliquam etiam considerationem mereri, & in  
exploratione illorum morborum, qui ab illis oriri  
praesumuntur, respirationis laesionem symbolum su-  
um conferre, quum fieri vix queat, quin ob diaphrag-  
matis cum ea connexionem, illius vitia liberum huius  
motum, & cum eo respirationem ipsam impedian.

S. X.

Per multa sunt alia thoracis, viscerumque ipso  
contentorum vitia, quibus explorandis respiratio in-  
fruit, observante Medico mutationes, quae ab illa ae-  
grotis contingunt. Sic in foemina, cui post obitum  
pericardium arcte cordi ad natum repertum est, tum  
difficilem & anhelosam respirationem, ad quemuis mo-  
tum, doloremque grauatum circa praecordia & fre-  
quentes lipothymias, tum pulsus, post quamlibet inspi-  
rationem, intermissionem obseruavit *Richardus Lowerus*  
*de corde cap. II.*

Tandem in omnibus morbis, qui labem pulmo-  
nibus affricare apti nati sunt, veluti febribus lenti, he-  
ticis, catarrhalibus etc. ad explorandum, an pulmo-  
nes sint illaes, fac aegrum, quam poterit, profundis-  
sime inspirare, quod, si nullo suo incommodo facere  
possit, pulmones ipsi saluos esse, iudicare licet: si mi-  
nus, & tussis hanc violentam inspirationem statim ex-  
cipiat, pulmones laesos esse, concludendum est.

S. XI.

Ad conceptionem obscuram patesciendam mul-  
ta Medicorum scriptis commendata exstant, quorum  
plerumque sublesta fides, nonnulla etiam ridicula &  
friuola. Omnibus carere possemus, si verum esset  
ex-

experimentum, cuius a P. Monauio commendati in epiſtola Andr. Dudithii ad eund. ap. Scholz. ep. XXXVI. mentio fit, ſcilicet, cohibendum eſſe a praegnante ſpiritu, claſo quam diutiffime ore, ſic enim fore, ut motus embryoñis perſentiaſtatur. Cuius periculum qui- libet, cui id integrum erit, facere poterit.

§. XII.

Plethora multa prodiunt. In reliquis non con- temnendum eius indicium exhibet diſſicilis respiratio, quemlibet leuiorem etiam motum corporis & exercitiū excipiens. Vitiatae ſanguinis crati commune quidem hoc ſympotoma exiſtit cum plethora, cui vero potiſſimum debeatuer, ex reliquis ſignis facile inno- ſet. Interim notamus, eam ſanguinis vitiatam crati, quae oeconomiam vitalem turbare apta nata eſt, ſic plerumque cum plethora coniungi, ut huius potius, quam illius culpa peccetur.

§. XIII.

Tandem in vitiis hepatis, quae tactu deprehendi poſſunt, aegroti leniter inspirare, & ſpiritu compri- mire jubendi ſunt, ſic enim hoc viſcus in hypochondrio magis prominens, infarctus & ſcirrhos, ſi quos habet, explorantis Medici manū facilis exhibebit. Haec ſpeciminis loco de vſu respirationis in exploran- do dicta ſufficient. Plura iam afferre, nec tempus nec diſſertationis limites permittunt, quibus reliqui vſus respirationis in praefruando & curando adhuc ſunt in- cludendi.

## SECTIONIS III.

CAP. II.

### De vſu respirationis in praeſeruando.

§. I.

**C**um in confesso sit apud omnes Medicos, conseruationē sanitatis, adeoq; præſeruationē a morbis opus esse Naturae, tum appetentis & afflumentis ea, quae continuis motibus a corpore deteruntur & pereunt, tum fecernentis salubres & vitae necessarios liquores, & excurrentis, quae vel copia molesta, vel alias corpori exitiosa forent, patet, Medici operae nihil amplius in hoc negotio relinqui, quam ut Naturae conatus adiuuet, partim appetitum prouocando, si langueat, partim impedimenta, quae vel nutritioni, vel secretionibus & excretionibus obſtant, remouendo.

§. II.

Ex omnibus adminiculis, quae huic scopo inseruiunt, ea ſaltim huius ſunt loci, quae a respiratione defumuntur. Videndum itaque erit, quantum haec varie temperata tum appetitum excitet & nutritionem adiuuet, tum secretionum & excretionum naturalium negotio famuletur.

§. III.

Vt itaque fidem ſo penult. Sect. I. datam libermis, e ſtructura & motu diaphragmatis, eiusque cum viſceribus inſimi ventris, & praecipue oesophago & ciſterna lumbari, cohaefione, eque vicinia cum hepate & li-

& liene atque pancreate pater, contracto diaphragma-  
te in inspiratione 1) constringi oesophagum, 2) com-  
primi ventriculum, & hoc ipso illidi sibi inuicem eo  
contentos cibos & atteri, vnaque teneriores & satis  
communitas eorum partes per pylorum eliminari. 3)  
Chyli ex intestinis in vasa lactea secessionem iuuari.  
4) Eiusdem ulteriore progressum in vasis lacteis fa-  
cilitari. 5) Cisterna lumbaris contentum chylum &  
lympham a tendinibus diaphragmatis in ductum tho-  
racicum cogi. 6) Succi pancreatici in intestina effusio-  
nem vrgeri. 7) Bals ex vnuuerso hepate in vesiculam &  
ex hac in intestina excretionem iuuari. 8) Sanguinis  
e liene & venis Portam constituentibus redditum ad he-  
par facilitari. 9) Fecum denique aluinatur excretio-  
nem promoueri. In quibus quum totum chylificatio-  
nis negotium versetur, obscurum amplius non est,  
quantum illud sit commodi, quod ipsi a respiratione  
aucta accedat, & quantam opem sanitatis conseruatio,  
quae primae concoctioni rite succedenti fere vnicet de-  
betur, ab illa exspectet.

## §. IV.

Et cohibitionem quidem spiritus huc aliquid con-  
ferre posse, veteribus persuasum fuit, quod ex loco  
*Mercurialis* allegato appetet, (in quantum scil. tensi ab-  
dominis musculi, & pressioni diaphragmatis contra ni-  
tentes, infimi ventris viscera exercent) & *Hippocrates*  
testari videtur cuius haec sunt *de Diaet. lib. II. cap. XLIII.*  
πνέουματ<sup>ο</sup> πατάχεσσις τὰς πόρες διαβαγνάσαι καὶ τὸ δέρμα  
λεπτίσαις καὶ τὸ υγρὸν ὑπὸ τὸ δέρμα εξόσαι δύναται. i. e. *Spiri-*  
*tus detentio meatus disparare, & cutim attenuare & humidifi-*  
*cationem sub cutim extrudere potest.*

D 3

§. V.

Vtramque vero hic paginam absoluunt, quos secundo loco ad augendam respirationem commendavimus, motus corporis & exercitia, quorum summum usum in praeservando a morbis corpore agnouerunt veteres pariter ac recentiores, quod non modo vegetior sanguinis circuitus, his ipsis prouocatus, exuberantes humores e corpore proscripteret, sed respirationem quoque sic augeret, ut eius fructum infimi ventris viscera percipere possint.

Ex illis, quos tertio loco proposuimus, respirationem temperandi modis, vocis exercitia sic nostro scopo accommodata sunt, ut fere illis, quibus per munera aliis exercitationibus vacare non licet, sufficiant. Locupletissimus huius rei testis est Plutarchus, qui lib. de tuenda valetud. Oper. Tom. II. p. CXXX. de illis sequentem in modum differit: Η παθήσαν τὴν λόγχη χρεία, διὰ φωνῆς περανομένη, θαυμασὸν οἴον ἐπι γυμνάσιον, ἢ μόνον τῷ σύγγεναν, αὐλά, ἢ πρὸς ιχὺν & παλαιστὴν, εἰδὲ σαρκάσταν, εἰ πυκνόσταν τὴν ἔντος, ὥσπερ οἰκοδομήματα. ἀλλὰ τοῖς ξωτικωτάτοις ἢ κυριωτάτοις μέρεσι πάραντι ἐνδιάθετον ἢ τόνον αἰληθινὸν ἐμποιήσαν νερτ. Xylandr. Usus sermonis voce pronunciari quotidianus mirum dictu quam vile sit genus exercitationis, non ad sanitatem duntaxat, sed etiam ad vires: non quidem athleticas eas, aut quae carnes augeant, aut extremas corporis partes tanquam aedificii, condensent; sed quia principibus corporis membris, penes quae vitae facultas potissimum est, naturale robur, vigoremque verum ingenerat. „Hinc Plutarchus vocis exercitia ad robur quoque conferre aliptarum exemplo demonstrat, cohibitio-

nem

„nem spiritus iis qui vnguntur, commendantibus. Plures deinde huius exercitationis vius commendat his verbis: τὸ θερμὸν ἀνθεῖ, καὶ λεπτόντες τὸ αἷμα καὶ πάσαν μὲν ἐκκαθάρεις φλέβα, πᾶσαν δὲ αἴστηρίαν ἀνίγει, σύσασιν δὲ καὶ πῆξιν ὑγρότητα. οὐκ εἰδή περιπτωματικῆς. Calorem agit, sanguinem attenuat, omnes venas perpurgat, arteriasque aperit, atque humores superfluos colligi non limit. „Tandem docet quomodo sit vtendum vocis exercitiis, & quae nam illorum prae reliquis praestantia & commoda existant.

§. VII.

Sed ne declamationes potius quam vocis exercitia loco allegato commendasse videatur Plutarchus, rhetorics artibus & facundia clarus, (quod obiicere aliquis posset) non patitur illustris Cornelii Celsi auctoritas, qui conceptis verbis lib. I. cap. VIII. Concedionem tardam a lectione clara iuuari, afferit, & Plinii testimonium lib. IX. ep. XXXVI. Se orationem Graecam Latinamue clare & intete, non tam vocis causa, quam stomachi, legere confueisse, perhibentis.

§. VIII.

Quae cum ita sint, nemini profecto mirum esse debet, Oratores sacros & artium Professores, qui sedentariae vitae maximam partem sunt addicti, nec aliis aequo exercitiis vacare possunt, si modo crassos in dieta errores euitent, satis plerumque sanos degere, viridemque senectutem attingere. Illis quippe declamationes & conciones omnium exercitiorum instar esse, facile is perspiciet, qui eorum quae attulimus gna-  
rus, paulo diligentius eos perorantes considerauerit. Feruente enim oratione, sensim vniuersus corporis habitus

bitus iis tollitur, tumefiunt venae, efflorescit color, sudores inter haec erumpunt, praesertim si quos persuadendi studium aut placendi gloria exstimulat. Quocirca monendi sunt omnes litterarum studiosi, reliquie, quibus per vitae rationem nec exercitiis nec concionibus aut lectionibus publicis vacare licet, ut illorum exemplo inuitati, intra priuatos parietes, quod sine ullo eorum incommodo fieri potest, sese recitando, clareue legendo, vel etiam cantando nonnunquam exerceant. Cui quidem consilio si obtemperauerint, non dubitandum est, quin respiratio, hac ratione temperanda, eos a multis morbis, quibus alias obnoxii forent, sit praeseruatura.

## §. IX.

Interim negari nequit, non promiscue omnibus commendanda esse vocis excercitia, & multis illa extiosa fuisse, qui non satis ad omnes circumstantias quae illa prohibent, animum aduerterunt. Sic v. g. multos oratores facros & profanos, a nimia inter concionandum contentionē, in haemoptysin incidisse, passim obseruatum est. Cuius non tam ipsius excercitii, quam huius temere adhibiti, culpa fuit. Iam notauimus haec de causa *Caelium Aurochanum*, in cephalaea ea commendantem, licet aliquo pacto excusandus videatur, quod *αινωφώνησιν* quidem, sed tenui exercendarū voce, iisque saltim suaserit, quibus caput fuerit plurimum reteuatum. quo ipso certe ad congestiones, iis, qui cephalaea laborant, familiares, respexisse videtur. Cautiones itaque circa usum horum excercitiorum fere consistunt in sequ. 1) Ut aliis libera & reliqua excretiones sic satis fint expeditae. 2) Ut nunquam instituantur, nisi immi-

imminuta prius plethora. 3) Ut thorace firmo gaudent, qui illa admittere cupiunt. 4) Ut euitentur in congestionibus circa caput. 5) Ut praesente dispositione ad haemoptysin, seu in congestionibus circa medium ventrem, omni studio caueantur. Quod Hippocrates probe iam notauit, dum in pectoris morbo, ab ulcerata pulmonis arteria, φυλάσσει βοή, vitare vociferationem iubet De intern. affect. cap. I. & Actius l. c. his verbis ad mentem veterum inculcasse videtur: Utendum autem vocis exercitiis, neque temere neque inconsiderante, sed neque prauis & corruptis humoribus corpore replete, neque in magnis & manifestis cruditatibus ad vocis exercitium progrediendum, ne amplior distributio corruptorum humorum aut vaporum in corpus fiat.

### SECTIONIS III.

#### CAP. III.

## De vſu respirationis in curando.

#### §. I.

Quoniam omnis morborum curatio duplice ratione absolvitur, vel euacuando noxia, vel in ordinem redigendo, quae vel motu, vel crazi, vel structura pellant; duplex quoque nobis erit tractatio, quarum prior utilitatem respirationis in excretionibus, posterior, in alterationibus promouendis, exhibebit. Quibus coronidis loco quaedam de ipsius in foro chirurgico vſu adiiciuntur.

#### §. II.

Et de iis quidem excretionibus, quae sec. nat. contingunt, iam praec. capite dictum est: adeoque no-

E bis

bis saltim dicendum restat hoc loco de illorum euacuationibus, quae praeter naturam corpori inherentia, morbi alicuius causam continentem constituant. Quo referenda etiam sunt, quae certo temporis spatio elapsa, absolute e corpore sunt exterrinanda: feces aluinæ & foetus, instante tempore partus.

§. III.

Fecum aluinarum & foetus exclusio, quamvis primario opus sit naturae, motibus quasi spasmodicis contiguarum partium eandem promouentis; illam tamen opem exspectat a nisibus, cum cohibitione spiritus inter egerendum & parturiendum coniunctis, ut sine illis fere langueat, quod eorum exemplo, qui alio difficiliore laborant, & in parturientibus salutari sternutationis & contrario oscitationum effectu, manifestum est.

§. IV.

Potiores esse diaphragmatis partes in hoc excretionum genere, ex iis, quae supra de cohibitione spiritus attulimus, appareat, veteresque iam animaduerterunt, & inter eos *Galenus*, cui idcirco diaphragma lib. II. de mot. muscul. ἐνέργειας τετταράρων ὀγκῶν, instrumentum excernendi superflua audit. Quo ipso, tum recensita excretionum genera ab ipso iuuari, tum superflui humoris per cutim eliminationem, ad quam coabitio spiritus non parum momenti afferre credebat, procurari, fassus esse videtur.

§. V.

Plures deinceps sunt excretiones variorum p. n. cauitatibus & visceribus inherentium, quae a variis respirationis augendae modis, quos tertio loco recensuimus, adiumentum exspectant. Sic e. g. *Elisio spiritus*

tus per nares mucum ipsis inhaerentem eliminat. Quo confert etiam sternutatio, quae paulo violentior etiam peregrina auribus inhaerentia ex illis nonnunquam excutit. Sic p. n. asperae arteriae inhaerentia tussi eliduntur. Sic multis, qui apostematibus & vomicis laborabant, salutaris fuit effusus risus, ruptis illis a nisibus inter ridendum obortis, quod Erasmo Roterodamo, cum Epistolas obscurorum virorum legeret, accidisse referunt. Singultus nonnunquam post assumptionem acriorum, veluti piperis in pollinem redacti, oboriri obseruatur, hunc si quem alium certissime tollit sternutatio, dum valide ventriculum concutit, eiusque tunicas ab irritantibus liberat, quod ad Hipp. Aph. XIII. sed. VI. notari potest, qui πταρπες ἐπιγνωμένες λύει τὸν λυγὸν sternutationes superuenientes a singulu liberare perhibet.

## §. VI.

Quinimo cohibitio spiritus, & fere omnis respiratio coacta omnes nostri corporis humores, in partium fibrosarum interstitiis haerentes, sic concutiunt, ut ad excretionem eosdem stimulent atque inuitent. Quod beneficio tensarum a nisibus fortioribus fibrarum fieri dicendum est, & Hippocrates c. l. per illud πόρος διαβαγάσσας denotasse videtur. Sic v. g. vena secta inter tussiendum fortius salit. Pertinet huc historia iuuenis, qui e pedis vulnusculo sanguinem pro lubitu, cohibens scilicet spiritum, exprimere poterat, quam referunt, ni fallor, Ephemerides N. C.

## §. VII.

Quod ad alterantem respirationis usum pertinet, quum tria eius sint obiecta, Motus scilicet, partes fluidae & solidae, de singulis seorsim agendum erit. Et

motus quidem deperditus in lipothymia saepe restitu-  
tus est a sternutatione per ptarmica excitata. Motus  
spasmodicos ventriculi & diaphragmatis in singultu e.  
g. a potu trigidae, cohibitione spiritus curari iam olim  
obseruarunt Medici, quod e Conuiuio Platonis appetet,  
vbi Erysimachus medicus eandem Aristophani singul-  
tienti commendat, & Aristoteles problk. V. part. II. confir-  
mat. Sic assiduarum oscitationum medelam esse longam  
spiracionem Hippocrates afferuit ἡπτάπλοιον ξυνεκέων χασμάτων  
μανθόποντας Epidem. VI. sect. II. Pleuriticos etiam &  
sicca tussi laborantes cohibitione spiritus iuuari obser-  
uatum est. Alterum docet Th. Sydenham his verbis:  
*Qui pleuritide laborant, solent tussis crebrae, quae magnum  
vis cruciatum, ob inflammatarum partium tensionem, afferit,  
prima molimina repressione spiritus coercere. Oper. Sect. VI.  
cap. III. de Pleurit. p. 226.* Alterum obseruavit C. Celsus,  
cuius haec sunt lib. IV. cap. IV. de tussi: *Oportet spiritu re-  
tentio currere, sed minime in puluere, ac lectione vii vehe-  
menti, quae primo quidem impeditur a tussi, post eam vin-  
cit.*

## §. VIII.

Sanguinis, fluidi principalis, motum progressiuum  
varie a respiratione mutari, auctis vel sufflaminatis cor-  
dis motibus, iam supra notaimus, & ante nos vidit Ri-  
chard. Loverus de Corde. In quantum igitur intestinus mo-  
tus a progressiuo dependet, in tantum pariter mutetur  
necessè est. Vterque si rite succedit, bene agitur de san-  
itate nostra: si minus, malorum myrias adeat, quae  
mali hypochondriaci nomine venit, & infimi ventris  
viscera, in quae venae Portae rami disseminantur, pri-  
mum affligere obseruatur, quod non aliunde fit, quam  
quod

quod in his venis lentior natura sanguinis motus statim  
communis circuitus detimenta experiatur & prodat.

§. IX.

Quam grauis noxa sit in hoc morbi genere lentae  
& rarae respirationis, alii iam indicarunt Viri in arte  
clarissimi & in reliquis *Malach. Thruston in diatrib. de*  
*respirationis usu primario*, qui solerter etiam annotauit,  
suspiria hisce esse familiaria & pene necessaria, ut san-  
guis alias circa praecordia stagnaturus profunda respi-  
ratione subinde ad motum rursus solicitetur. Quam-  
obrem omnibus iis, qui hoc morbo male mulctantur,  
nec reliquos augendae respirationis modos admittere  
possunt, non tam frequentia suspiria, quam fortem &  
crebram respirationem continuo filo celebrandam com-  
mendamus. Illa enim hoc incommodi habent, vt,  
quantum vna manu dant, tantundem fere altera de-  
mant, aegris ad genium redeuntibus, & post vnum al-  
terumne suspirium lente ac demisse rursus inspirantibus.  
Haec & damna lentae respirationis praecauet, & aegros  
suspiriis malo omine affluefieri non finit.

§. X.

Quoniam sanguinis laudabilis crafis maximam  
partem utriusque eius motui rite succedenti debetur, non  
difficile est intelligere, quantum ad eius vitia restau-  
rationem conferat respiratio, cuius in temperando hu-  
morum motu tantas vires esse audiuimus. Respiratio-  
nis igitur usus in alteranda humorum crasi, his positis  
nulli amplius obscurus esse poterit.

§. XI.

Vnicum saltim exemplum vitiosae diaphragma-  
tis structurae per respirationem emendandae proponi-  
mus.

mus. Obseruarunt scilicet, qui corpora eorum, quibus, a graui pectoris morbo superato, dyspnoea relicta fuerat, dissecuerunt, diaphragma ipsis plerumque, ob frequentiorem & minus profundam respirationem, altius solito adscendisse, & costis spuriis, tertiae quartaeue nonnunquam fuisse adnatum. Quibus si, post profigatum morbum, profundorem respirationem com mendaueris, meo quidem iudicio non solum nihil peccabis, sed fortasse etiam efficies, vt diaphragma, solitis limitibus contentum, eadem, qua ante morbum, libertate sese expandere rursus queat.

## §. XII.

Tandem, vt quaedam etiam de eius vsu in foro chirurgico dicamus. Pus aut sanguis post trepanationem durae matri incumbens optime obstructis ore & naribus, comprimendoque spiritum, excutitur. In fistulis thoracis inter pleuram & musculos consistentibus, ne pus tam facile motu continuo vterius serpat, minor respiratio necessaria putatur a *Barbette Oper. chir. anat. part. III. lib. III. pag. 359.*

Exspiratio minor necessaria etiam videtur in vulneribus thoracem penetrantibus & abdominis, ne illo contentae partes tam facile elabantur, quod, nisi inter exspirandum fieri, non potest.

Atque sic habes L. B. quasdam veluti lineas, quibus respirationis usum in praxi medica adumbrare placuit. Curatius aliquando atque vberius hoc argumentum a nobis pertractabitur, si Deus vitam vires que concesserit, cuius summo Numini deo-  
tas grates pro praefrito auxilio nuncu-  
pamus.

F I N I S.

BRUNNEN  
WILHELM VON HANAU  
DIEZ DREI TAGE DER STADT  
BESUCHEN KÄUFER UND VERKÄUFER  
VERGÄNGE FRECHE RÜCKSICHT IN ERSCHÖPfung.

Qc 310  
(II.)

ULB Halle  
001 540 53X


3




sb

Vd18





B.I.G.



26

Q. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO CAROLO**  
BORVSSIAE PRINCIPE MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO RELIQA  
PRAESIDE  
FRIDERICO HOFFMANNO  
COLLEGII MED. h. t. DECANO  
**VSV RESPIRA-  
TIONIS IN ARTE  
MEDICA**  
PRO DOCTORIS GRADV  
publice disputabit  
AVCTOR  
HENRICVS CHRISTIANVS CRVGERVS  
Luneburgensis  
H.L.Q.C.  
Ad d. Decembr. Anno M. DCC. XIV.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ*  
Litteris CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, acad. typ. 1714

